



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In Festo S. Assvptionis Deiparæ Virg.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

*Circula* *Laurentia* *nalectus* *ditus* *fratrum eius versasti in infirmitate eius*. Non incommode hic de S. Laurentio capi queat, cuius craticula egregie & merito lectus queat doloris appellari, in quo victor hic pugil & infractus palæstrita recubuit; atque hoc in amaritudinis lecto opem illi Deus Opt. Max. tulit, & auxiliaturus misericordie eum oleo iunxit, eo quod omnes disperit, & dedit pauperibus facultates. Deus porro lectum hunc afflictionis versat, inuerset, & ambit, ut solatium auxiliumque afferat, & in manu valida ardentem protegat.

*Martyrium* *S. Laurentii* *theatrum* *mirabilium* *vidistis* *auditores*, eruentam martyris generosi tragediam, quæ sine & lacrymas oculis & commiseratione pectore elicit palæstras; tametsi eadem ipsa ceu egregius quidam hortus sit, ad omnigenum virtutum flores inde decerpandos. Est item theatrum quoddam mirabilium ac prodigiorum Laurentij nostri certamen ac stadium, quin & illustris quædã academia, in qua heroica generosæque virtutes, constantia, fortitudo & infracta in aduersis magnanimitas reapse edocentur.

*S. Laurentii* *martyrium* *sancta* *quædam* *philosophia*. Hunc igitur ludum adire, fideles Christiani, huic philosophiæ animum applicate; discetis namq; hic intentum vehementemque erga Deum amorem, & extremam erga inopes indigentes caritatem: discetis insuperabilem contra aduersa omnia constantiam, indomitam in afflictionibus tolerantiam, mirabilem in persecutionibus generositatem, & videbitis quis aduersus Tartari & mundi insultus & oppugnationes sit gladius vibrandus.

Te vero mundi vindex, afflictorum spes, dolentium solamen, anxiorum & oppressorum asyllum, & gementium auxilium: tu qui inuictam martyribus ad tam generose omnigena probia pro nominis tui gloria toleranda, constantiam & animos suggestisti, qui sanctis tuis aduersus omnigenos mundi insultus & aduersa arma necessaria in manus dedisti, sed qui Laurentio in primis tantum animi, fortitudinis, ac virtutis es impertitus, ut mortem omnium acerbissimam dirissimamq; infracta mente perferret: te inquam animarum Redemptor supplices rogamus, nobis ut ad imitationem gloriosi huius Leuitæ, vires

præbeas, quo resistere tentationibus generose valeamus, des in aduersis patientiam, rebus in arctis fortitudinem, in prosperis humilitatem, & quacumq; demum in fortuna generositatem. Ut Laurentio gratiam dedisti, hominum simul & angelorum Domine, ad incendia tormentorum perfringenda, ad cruciatuum ardores tolerandos, eandem obsecro nobis ne neges, ut animo, generositate, constantiaq; obarmari, delictorum extinguere flammam, & astuantes carnalium animaliumque concupiscentiam ardores suffocare & obruere mereamur, atq; inde de efferata brutalium passionum nostrarum tyrannide, & omnibus mundi tribulationibus triumphantes, tandem aliquando decurso vitæ presentis curriculo, ad æternæ gloriæ reposita admittamur; ad quæ nos vnus in personarum Trinitate Deus, atq; is optimus maximus, deducere dignetur. Amen.

IN FESTO S. ASSVMPTIONIS DEIPARÆ VIRG.

Partitio.

1. De supereminente B. Maria Virginis precolentia.
2. De obdormitione Deiparæ.
3. De conuenientia suscitanda Maria & seruanda ab incurritione.
4. Probabilia res alia super eodem privilegio.
5. De triumpho & gloria assumptæ.
6. De cultu virginis & matri debito.

*Quæ est illa quæ progreditur, quasi aurora: consurgens, &c. Cant. 6.*

FIGVRA.

**M**AGNA illa, prodigiosa & admirabilis: nauis Noe, inquam, arca, postquam longo tempore diluuij aquis, fluctibus & tempestatibus agitata, procellis & tempestatibus concussa innataisset, in montibus Armeniæ tandem sterit. Hodie vero videmus gloriosam Mariam Virginem, veram arcam, quæ



verum Noeum saluatorem & restauratorem totius vniuersi tulit, postquam longo tempore super aquas, & miseria & tribulationū vitæ huius tentationum ventis pulsata, & torrentiumq; tempestatibus ac procellis aduersitatum agitata, natasset, in montibus æternis substituisse. Est hoc festi gloriosa Assumptionis occasio & subiectum, subiectū triumphis & mirabilibus plenum, subiectum quod homines simul & Angelos ob Reginae suæ coronationem recreat & gaudio replet. Tu vero sacratissima Virgo, quæ hodie instar auroræ ascendis, quæ pulchra vt luna es, electa vt sol, & terribilis vt castrorum acies ordinata, cum de tuo hic honore agatur, tua gloria in aciem hic veniat, nobis gratiam impetra, opem cœlestem implora, cymbam hanc nostrā dirige, cumq; hodie te Angeli cœlum ingredientem noua quadam salutatione compellent, nos veteri te salutatione, quæ tibi olim ab Angelo Gabriele impertita fuit, compellabimus, communi voce dicentes

## AVE MARIA.

I.  
Mirabilia  
Apellis o-  
pera.

Magnus ille, celebris & admirabilis pictor Apelles, de quo tanta tradit, quemq; tantum olim fecit Antiquitas, vt nomen suum ad posterum egregio quodam opere transmitteret, Venerem quandam pingere voluit, quam vt perficeret & omnibus numeris absolutam redderet, decem ipsos annos in illa depingenda impendit, sed tantum huc contulit ingenii, laboris, industriæ & artificij, nullum vt simile opus à quoquam fuerit alias elaboratum: adeo, vt, cum publice Athenis spectanda proposita esset, & omnes eam extollerent & pro dignitate admirarentur, vt pote quæ omnium animos & oculos simul raperet, iuuentus Atheniensis in eius amorem exarsit: quam ob rem visum senatui ad desideria iuueniorum, & lubricorum cupiditatem restringendam, imaginem tollere, eamq; in loco aliquo non ita patulo ponere, ne quam forte reip. corruptionem afferret, & adolescentum animos nouo cupiditatis fomite succenderet.

Maria nulla  
imago pul-  
chrior.

Magnum hoc & stupendum artis & naturæ miraculum; sed non sunt huic imagini co-

gitationes vestrae ita affigendæ, auditores, vt auellere nequeatis, nam quid aliud longe dignius admirari & obstupefcere par est. Videre quippe hic licet opus centuplo perfectius, admirabilius & subtilius: videre licet, in quâ, pulcherrimam, elegantissimam, perfectissimam imaginem, qua nulla in mundo vnquam conspicita fuit dignior. Imago hæc Deipara est, non Dea impudicitia, & lasciuia vermis, sed sacratissima Maria Virgo, omnis castimonie regina. Qui eam depinxit pictor, Spiritus S. est, quod impensum est tempus, quinque annorum excedit millia, sed opus ipsum & imago adeo præclara sunt, vt cum in die natiuitatis esset in terra ad spectandum proposita, & hodie in die assumptionis in cœlum euecta, totus orbis obstupescens confiteatur nihil se vnquam simile conspexisse, vt de canit Ecclesia:

*Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

Libro tertio Regum dicitur Salomon regium construxisse thronum, idq; ex ebore, & auro mundo eum conuestijse, & ecce addit scriptura simile nihil vnquam conspectum fuisse, *Nō est factum tale opus in vniuersis regnis.* Regum Rex Deus cum virginem hanc conderet, quæ veri Salomonis Christi esse debebat thronus, eamq; ex ebore castitatis efformaret, & mundissimo caritatis auro conuestiret, tam luculentum id opus fuit, nihil vt in omnibus mundi regnis simile apparuerit, nec in Angelorum regno in cœlo, nec hominum in terra.

Scriptura de templo Salomonico agens, restam nouas & admirandas profert, vt nisi credere teneremur, quod Dei verbum sit fallere nescium incredibilia crederemus, quod nimirum, *Ædificauit eam annis septem,* cum tantæ quotidie septuaginta millia onera portantium, & octoginta millia latomorum in eo occuparentur. Ipse quoq; ædificij fabricator & constructor dicebat, *Grande opus, nec enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Sane quicumq; magnitudinem, maiestatem, & quidquid in prædestinatione & perfectione Virginis huius peractum est, propius intueri voluerit, quod quinque annorum millibus & amplius in eius consummatione laboratum sit, quodq;

Deipara  
throno Sa-  
lomonis af-  
similata.  
3. Reg. 6.  
3. Reg. 3.  
1. Par. 19.



quodq; vaiuerfa Trinitas in ea perficienda allaborarit; merito Salomonis hæc verba reperere potest, *Grande opus*, admirabile, & nõ nisi ab omnipotentis Dei manu profectum, nec proinde mirum cuiquam videri debet, si opus sit admirabile, *Neg. enim homini præparatur habitatio, sed Dei fitio*, cuius illa esse Mater debebat.

Quamobrem D. Thomas cum eius mirabilia, dotes, gratias, & perfectiones considerasset, tandem concludit, ipsam quoddam omnipotentis Dei opus, & singulare quidem existisse, sed perfectum adeo & admirabile, vt Creator ipse maius aut perfectius aliquid efficere non posset. Omnipotentiam enim Dei examinans, & inuestigans, num agens illud infinitum & æternum pulchriora & præclariora quædam facere posset quam ea quæ fecisset, & mundum aliquem ab ipso quo fruimur perfectionem fabricare, concludit tandem & asserit, posse. Tria tamen ab ipso facta tam perfecta, vt imposterum perfectiora excellentioraue efficere nequeat, scilicet ipsam, quæ Beatus parauit gloriam & compensationem, deinde Iesum Christum, in quantum erat homo, deniq; gloriosam Deiparam Mariam: nõ vt priorum ratio omittatur, creaturam aliquam Deus altius eleuare non poterat, aut maiorem ei honorem, gratiam aut perfectionem conferre, quam creatoris illam matrem, & cæli terræq; Reginam constituere. Quod ipsa Virgo etiam obstupescens, alios admirari etiam cogens ait, *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Quasi diceret, magnificare Dominum debet anima, eiusq; potentiam deprecari, quod in me magna patrarit, & sane (Virgo sacratissima) ita magna & eximia, nihil vt maius digniusue dici aut fingi potuerit.

Et sane omnipotens Deus magna in Virgine hac fecit; primo in eo quod gloriam illius spectat, illam hodie super omnium tum Angelorum, tum Sanctorum gloriam extollendo, deinde etiam quo ad gratiam, vt pote cui maiorem amplioremq; hac in vita gratiam quam omnibus simul creaturis communicat, tum deniq; quo ad naturam, plura siquidem illi merita ac dotes maioremq; pulchritudinem contulit, quam alteri cuidam mu-

lieri, quæ hac aliquando in terra vixerit. Præter scilicet Deipara vera Apellæa imago, quæ in admirationem amoremq; omnes omnino homines pellexit. Tra hoc prædixit Psalmographus, *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*. Id est, Itate, Virgo, perfectionibus locupletabit Deus ac ditabit dotibus, vt ditissimi quiq;, quos orbis fert, eadem sint admiraturi, magnumq; sibi honorem exhiberi putaturi, si vultum tuum adorare & colere posse illis contigerit.

Dionysius Areopagita, cum audiisset tam virginale hoc vultu elucere pulchritudinem, patriam reliquisse dicitur, & in Iudæam venisse Deiparam visurus: quam mox vt vidit, maiorem è vultu illius pulchritudinem emicantem conspicatus est, quam ab alijs audiuisset, quare illam demiratus, & venerandam vultus maiestatem ex oculis & fronte promicantem veneratus ingenue confessus est, se, nisi diuinitatem quandam in celo latitantem docuisset fides, aliud in terra numen præter hoc ipsum non adoraturum, credebatque nullum diuinum in terra subiectum posse & augustius reperiri.

Milites Assyrij, interea dum Bethuliam obsiderent, visa Iudith viduæ pulchritudine capti fuere, quin & ipse Imperator Holofernes, mox vt in conspectum eius venit, oculorum illius illicio inescatus est, & confessus, simile aut parem se nunquam conspexisse, *Cumque intrasset ans. f. ciem eius, se tum captus est in suis oculis H. lofernes* Nulla fuit cum Deiparæ pulchritudine Iudithæ pulchritudini affinitas, comparatio nulla, fuit enim totius vniuersi admiratio, naturæ stupor, omnisq; tum cælestis, tum terrenæ venustatis ornamentum. Atq; ideo fideles omnes Ecclesiæ militantis milites, qui eandem vel in terris cogitatione oculis videre pottere, confestim vultus illius pulchritudine, & animæ dotibus capti & illecti fuerunt, vt libere aperteq; confessi sint, nihil vnquam solem vidisse admirabilius, atq; hinc extra se rapti, inq; illius affectum transformati, suum illi obsequium, affectum & cultum lubenter meritoq; ab eo momento, dedierunt.

In officijs Cicero de virtutis venustate ac splendore

Iudicium Dionysij de Deiparæ pulchritudine.

Iudith. 10.

Iudith pulchritudini præfertur B. Virgo.

179. 2. ar. 4. Deipara opus Dei primum.

Luc. 1.

Sa. af.

Magna Deus in Virgine fecit per gloriam gratiam & naturam.



splendore loquens, tam venustam eam & eximiam esse tradit, ut si humanis cerui posset oculis, admirabile sui in animis hominum excitaret desiderium, atq; omnes in amorem suum pertraheret. Quod orator ille de virtutis dignitate, mihi potiori iure de Deipara virtutum omnium Regina dicere licuerit, dico igitur tantum illam pulchritudinis in vultu, tantam in animo gratiarum continere, nullus ut inquam propius illam sit intuitus, qui non eandem admiratus sit, & eius exemplo ad virtutum ac vitæ imitationem fuerit incitatus. Non loquar hic de hominum stupore, non dicam quo modo eam creaturæ omnes sint demirata, quo ad Angelorum admirationem, stuporem meritorumq; illius predicationem descendam. Audite enim ut illa cælum subcunte, admirantes, consternati, perculsi que clamant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi auro- ra consurgens, pulchra ut Luna, & electa ut Sol?* Subiectum hoc thema meæ panegyricos, quæ ut debito ordine prosequar, primo mortem & assumptionem Deiparæ proponam, deinde illius ad cælos ascensum describam, & gloriæ magnitudinem recensabo.

II. Nonnullorum opinio Virginem vna cum Filio extinctam.

Principio igitur, quamuis historici non conveniant in mortis Deiparæ tempore & circumstantijs recensendis, omnium tamen simul opinio est, vna cum Filio illam non exspirasse, uti nonnullorum scriptorum sententia fuit, sed longo post illum tempore mortem obiisse, quod mysterij huius & historici summa est & brevis compendium. Certum quidem est ac manifestum, nullum in sacris litteris reperiri locum, qui Virginem mortuam doceat, adeo ut credere possemus, nunquam illam mortuam fuisse, uti indubitate Enoch, Eliam, & Ioannem Evangelistam mortem non sensitisse credimus, qui tamen in fine sæculorum morituri sunt, ut ipsa Apocalypsis tradit, cum nullum scripturæ haberi possit testimonium, quod refragetur: Discimus quidem generaliter è sacris litteris omnibus mortem appetendam: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, ait Apostolus, & *quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem?* canit David: at huc aut illum mortuum esse non traditur, at è cõtra è scripturæ cui potest, aliquos nondum

Apoc. 12.  
Heb. 9.  
Psal. 118.  
Traditione comitat, Virginem obiisse.

obiisse. Verum sacra & sancta docet traditio, quæ per tot jam secula inviolata permanit, virginem vere obiisse. Traditio igitur id constat, non vero è scriptura.

Dicere vero vna cum filio illam obiisse in tristi Calvaria: tragœdia, Scripturæ simul & Evangelistis aduersatur. Constat enim sacratissimam Virginem, filio patiente & in cruce sublato, iuxta crucem firmam infractamque constituisse. Quin & in Actis Apostolorum traditur, illam post filij ascensionem vna cum Apostolis in die Pentecostes Deum orasse, *Hi omnes erant perseverantes in oratione cum mulieribus & Maria Matre Iesu & fratribus eius.* Ad hæc Ecclesiastica historici docent, Dionysium Areopagitam illius videndi causa in Iudæam profectum, eamq; totà morte filij annis in terra conspexisse.

Igitur vna cum filio non est mortua, sed lo- Cur Virgo go deinde post tempore: idq; duas ob ratio- post filium nes prægnantissimas, primam quæ ipsam spe- vixerit, ctat, alteram quæ nos, ut scilicet ipsa menta varia coaceruaret, ac velut fascem colligeret: cum enim vita hæc ad merendum concessa sit: hinc diutius vivere illam permisit Deus: nostri vero respectu, ut hac ratione varijs hæreticis via obstrueretur, ac præsertim Manichæis, credentibus Christi corpus verum non fuisse corpus, sed phantasticum, evanidum, apparens, aereum: quos ut convinceret Christus, Virginem ac Matrem suam in terra commorari voluit, ut fidelis ac vera testis foret, omnemq; illam conspici sibi persuaderent, filium verum ac reale corpus habuisse, quale habere matrem videbant.

Aliam adhæc rationem adfert Anselmus, *Lib. de excod.* docetq; idcirco vitam illi productam, ut in filij absentia Apostolos, ceterosq; fideles edoceret, Ecclesiæq; solatio foret. Providit solerter haud dubie natura, ut Sol & Luna nunquã simul à terra absint, adeo ut Sole absente Luna radios & lumen diffundere soleat. Maior etiam fuit sapientia naturæ ipsius auctoris in Ecclesiæ suæ bono procurando, censebat n. rationi consentaneum non esse, ut Christo Sole Iustitiæ in cælum sublato, Luna, id est, Deipara, quæ pulchra ut Luna, simul cum ipso in cælum ascenderet, mansit hæc igitur super-

Virginem vna cum filio obiisse Evangelio repugnat.

Cur Virgo post filium vixerit.

Lib. de excod. Virg.



superstes, ad Ecclesiam illustrandam, & fulgore suo illuminandam.

Opinio nonnullorum Virgine non morte violenta illam extinctam credunt, verbis illis Simeonis innixi, *Tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius*. At falsum hoc est, & contrarium figuris affirmari potest. Nam in Deutero nom. Mosi præcepit Deus, *Et si abis ibi altare Domino Deo de lapidibus, quos ferrum non tetigit*. Vti Deus ferrum tangeret lapides altaris vetuit, ita & Virginis huius membra.

Libro tertio Regum velut miraculum refertur, numquam malleum, securim, ferram, aut aliquod ferramentum in Dei domo esse exaudium, interea dum ædificaretur, *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, dum ædificaretur*. Ita quoque gladius nullus, nulla violentia, aut cruciatus in virginis huius corpore, quod vera Dei domus, cum ex hoc mundo decederet, fuit exauditus.

Virgo morte filij sui extincta est. Dicendum igitur, alijs curiositatibus relictis, filij sui morte eam extinctam esse, quod hac ratione probo: Eandem quam filius vitam vixit Virgo, eadem ergo qua ille morte extincta: non quod eandem Christum & Matrem animam habuisse velim, sed eo modo quod dicitur in Actis, *Credentium unum cor & animam fuisse*, idque ut magnam unionem communionemque, quæ inter primitivæ Ecclesiæ fideles erat, amor porro & unio Christum inter & Matrem adeo perfecta erat, ut vna amborum vita esset. Atque ut de se Paulus ait, *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus*, ita Virginis anima filio sic unita erat, ut merito paradoxice dicere posset, *Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Filius*. Cumque vita filij vixerit, sequitur etiam mortem illam filij occubuisse.

Tanta Jonathan iater & Davidem fuisse scribitur coniunctio, ut anima Ionathæ animæ Davidis adglutinata amoris visco diceretur, *Anima Ionathæ conglutinata erat anima Davidis, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam, &c.* Quam igitur magnus fuisse amor Virginis erga Filium credendum est: an non dicendum, Mariæ animam animæ Iesu ad-

Bessai tom. 3. de Sanctis.

hæsisse agglutinatam. Filiumque à matre velut animam suam dilectam? Adeo ut vna parte extincta, alteram eodem vulnere occubuisse credendum sit. Atque hæc fuit Simeonis Prophetia, qui Virgini hoc mortis genus prædixit, dicens, *Tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius*. Loci huius interpretes hoc modo illum exponunt, spiritualis passionis gladius, id est, tormenta crucis, animam tuam transuerberabunt, ad mortem usque te fauciant, & verbo ut dicam, morte filij tui occumbes.

Cum vehemens quidam ictus & magna violentia corpori infligitur, sæpe ipsum trajicit & transfadigit, ut & proxime astans eodem sæpe vulneretur ita quoque tormenta crucis tanta violentia inflicta non modo Christum in cruce mori coegerunt, sed & gloriosæ Virginis animam, quæ filij sui animæ conglutinata erat, & cruci quam proxime adstabat, transuerberarunt.

Cervi venatorum saucij iaculis in ipso mori Aliud, loco quamprimum non solent, sed per agros & a via fugientes, letale corpore nihilominus vulnus tenentes, procul à venatoribus emoriuntur. Mors venatrix quædam cruenta cum in ipso Calvarie loco magnum illum certum, Iesum Christum occidisset, & eodẽ ictu præclaram illam ceruam, Deiparam scilicet, vulnerasset, ipsa tamen eodem in loco non expiravit, sed à monte Calvarie fugitans, & animo ferale & lethale hoc vulnus fouens, non nisi aliquot post annos mortua est.

Aristoteles litteris prodidit, ceruos Cretensium, cum telo se vulneratos sentiunt, quamprimum dictamnum quærere, quæ herbam astus, ubi gustarint, & iacula statim excidere, & plagam coalescere. Nullum Christianum esse crediderim, auditores, qui non, ubi oculos in crucem cõiecerit, & Dominicæ passionis supplicia perpenderit, cõpassionis telo intrinsecus in animo saucietur: sed ceruis hisce Cretensibus persimiles sumus, ut enim vulnus hoc fatalare senserimus, ad mundum quamprimum confugimus, dictamnum consolationum mundanarum, vanitarum ineptiarumque; secularium quæsituri, atque ita clavorum, spinarum, & lanceæ sensum doloremque; quæ cor nostrum ad mortem usque vulnerant, reiciimus.

R r r mus:



mus: at gloriosa hæc Virgo ad mortem semel vulnerata, nullum deinde medicamentum aut remedium quaesivit, sed religiose semper plagas suas servavit.

Virgo præ amore mortua.

At qua tandem morte exstincta est? morte filij, porro ut ille ex amore & libere ac sponte mortem oppetijt, ita idem quoque de Virgine cogitandum. Hæc scilicet est Magni Alberti opinio, *Virgo præ amore & sine dolore morsua est.* Scio Christum Dominum infinitum in corpore, tum in anima tormenta perpeffum esse: quoad animam quidem, proponite cum vobis in horto gementem & afflictū, ac præ animi amaritudine dicentem; *Tristis est anima mea usq; ad mortem*: quoad corpus vero respicite illum in cruce constitutum. Sed non satis erant hæc omnia ad illi vitam eripiendā, sed solus ei amor vitam eripuit.

Matth. 26.

Ioan. 10.

Tectatur hoc in Evangelio dicens, *Animam meam pono, id est, morti me offero.* Neq; enim audebat ei mors vincula iniicere eumq; comprehendere, atq; ideo *inclinato capite tradidit spiritum*, quem non mors violenter abstulit, sed ultro, sponte, libenterq; emisit. Ita quoq; amor virginē hanc mori coegit, sancta quippe & cœlestis hæc passio ita corpus hoc nobile inuaserat & occuparat, ut tandem ipsam prostrauerit, & animam exire compulerit.

Simile.

Ignis nube velut carcere quodam conclusus, non quiescit, donec erumpat & violenter sibi exitum parat. Ignis amoris est Symbolum, qui in animo virginali inclusus, & accensus non prius cessauit, quam animæ exitum de corpore, quod illam captiuam detinebat, parauit. Amor siquidem & mors eiusdem sunt potentia ac viriū & imperio dominiq; pares. Vnde Cantica: *fortis est, sicut dilectio.* Quasi dilectæ diceret Sponsus, Tanta amoris tui & dilectionis vis est, ac robur, quanta mortis, & iurare ausim, mortem illum mihi illaturum, vitamque erepturum.

Cant. 8.

2. Reg. 13.

Amnon Davidis filius sororis suæ Thamaris amore dum inardesceret, elanguet & tantum non emoriebatur. Vnde dicitur, *Ita ut propter amorem eius agrotaret.* Si amor lasciuus & impudicus tantarum apud stolidos Veneris clientes virium est: quatarum amor sanctus, purus & diuinus est futurus? annon ille Virginem elanguere, & tabescere cogit?

animamque & vitam à corpore violenter abstulit? adeo ut morte voluntaria spontaneaue exstincta sit.

Phœnix omnium avium Princeps, & Arabiae Felicis incolæ, cum iam annis grauis vitam pertæsus est, ligna calida & bene olentia coaceruat, eaque solis radijs exponens, alas concutit, ut ignem concipiant, quo se aduri finit. Ita quoque Virgo nostra, vera mundi Phœnix, iam senior aromatica crucis ligna, Phœnicis clauos & spinas coaceruans, & alis meditationis super eadem assidue volitans ignem amoris excitauit, (*Et in meditatione mea exardescet ignis*) qui illam hic assumpsit, ut rediuuam & sospitem in altero mundo sistat.

Sed mortua quamprimum resuscitata est, ita porro hoc prædixerat Psalmographus, *Exurge Psalterium & cithara, exurgam diluculo.* Scio Hieronymum, & August. de Christi hoc resurrectione exponere, sed quid impedit, quo minus etiam de gloriosa illius matre intelligamus? ipsa siquidem verum exstitit Psalterium, quod superius cecinit, docendo, credendoq; mysteria, & lyra, quæ & infimum tonum sonuit, tribulationes & aduersitates vitæ huius perferens, atque hæc ipsa diluculo surrexit, id est, statim à morte, à corruptione, quæ cæteris communis est, libera penitus & exempta.

Voluit in Exodo Deus Arcam fœderis è ligno Sethim, quod corruptionem nescit, Arca è ligno incorruptibili constructa. Gloriosa Virginis corpus vera arca fuit, pacis & fœderis nostri symbolum quæ verum manna, & ipsum legis auctorem in se continuit, ac proinde ab omni liberum esse corruptione debebat, nec in cineres, quibus cetera hominum corpora obnoxia, conuerti. Prærogatiuam hanc & gratiam præsignarat Propheta, cum diceret, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* id est, Virginis nostræ corpus, quod penitus sanctum erat, nec ab vilo vnquam peccato profanatum.

Propheta in Christi persona hæc ait, sed loco verborum: *Sanctum tuum*, ut tunc nonnulli, *carnem meam*: quod Apostolorum Princeps Act. 2. de Christo interpretatur: qui fieri queat igitur, Virginis corpus corruptioni obnoxium esse, è quo suam Christus humanitatem

tatem



tatem acceperat? Ad hæc, si Prophetas quofdam in corpore simul & anima ad cœlum suffollere potuit Deus, cur Virginimatri idipsum denegant?

Vnum est, sed non tanti momenti, quod hoc impediat, generale sc. illud decretum, aduersus vniuersum hominum genus promulgatum, *Puluis es, & in puluerem redigeris.* Nam multæ ab hac regula dari possunt exceptiones. Legimus enim Eliam in curru igneo per æra raptum; nullam corruptionem passum, vbi hic cineres & puluis? Docet etiam Genesis Enoch non apparuisse amplius, sed subito disparuisse, nulla mortis cinerum mentione facta. Quamuis certum sit circa mundi finem illos morituros, vt docet Apocalypsis: Sed aliter se in Virgine hæc res habet, si enim anima illius contra vniuersalem illam regulam, *Omnes peccauerunt in Adam.* &c. speciali quadam gratia ob originali peccato præseruata fuit, cur non corpus quoque illius, eadem gratia ab omni naturali putredine præseruetur? Quod figuræ Biblicæ facient manifestius.

In excidio & euersione Ierichuntina cum oēs domus & basilicæ ad terrâ dei cerentur, & ferro & igni euertentur, sola domus Raab cõseruata fuit & Iospes, quod Iosux exploratores occultasset. Audite militare decretum aduersus urbem promulgatû; *Sitq; cuius hæc ana: hema, & omnia qua in ea sunt Domino, sola Raab metrix viuat cū vniuersis qui cū ea in domo sunt, ab condit enim nuntios, quos direximus.* Ita quoq; in generali generis humani excidio & euersione, in qua cœlesti decreto omnia hominû corpora cinerib. adiudicata fuerat, sola domus Raab, id est, Deiparæ corpus, quod ipsum Iosua, id est, Christû Dominum sacro vtero suo tulisset & occultasset, exempta fuit.

Diluuium per vniuersam terræ superficiem seuiens, si forte memineritis palatia omnia, vrbes, & integræ regiones, & quidquid in mundo esset, euersum & perditû fuit, at sola Arca Noei tēpestatibus, aquis & vadis resistēs, fluctuauit enatuitq; incolumis. Ad eundem modû in diluuium primæ illius condemnationis omnia hominum corpora, quæ viua animarû nostrarum domicilia sunt, pereunt &

putrescunt, ac nullum, præterquam virginis, post filij tui, quod vera illa Noei Arca enauigauit, & numquam fundum petiit, id est, numquam in cineres & corruptionem redactum est. E sacra Scriptura conceptus hie ductus est, *Tu & arca sanctificationis tue.* *Psal. 132.*

Abiathar Sacerdos quod eum Adonia aduersus Salomonem conspirasset, læsæ Maiestatis crimen ei condonans Rex ait, *Vir quidē mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus, &c.* Ita omnipotens Deus, videns Virginem sub conspiratione vniuersali aduersus maiestatem suam inita, & ab Adamo in paradiso terrestri tentata comprehendî, proinde mortem & corporis putredinem mereri gratiam ei præstitit, & prærogatiuâ, quod salutis nostræ arcam, id est, sacram filij sui humanitatem, portasset.

Omnes filij Iob in morte primogeniti occubuerunt, corporaq; eorû sub rudetibus ac ruinis domus obtrita, adeo vt non nisi, qui renuntiaret, euaserit nuntius, *Et ego solus euasi.* Verus quidâ Iob Deus est, cuius filij oēs sunt homines, quotû primogenitus ipse fuit Adâ, quo moriente, oēs simul mortui sunt, omniûque animæ sub peccati originalis rudetibus sepultæ, corpora vero morti & cinerib. adiudicata, *Omnes peccauerunt in Adamo, & mortui sunt,* sola hæc euasit Virgo, ac sola dicere potuit, *Et ego sola euasi,* in die cõceptionis anima ab originali peccato præseruata, & hodie corpore illius à cinerib. & corruptione exempto.

Solent apud iudices ciuiles eorû domus, qui regni & Regû proditores fuerit, & aduersus eorum incolumitatem ac salutem conspirant, euerti & solo æquari, at fideles Regum clientes & regni sospitatores huic legi cõsuetudiniq; obnoxii non sunt. O diuina iudicialia! Oēs nos Dei nostri proditores exstitimus, & aduersus Principis nostri maiestatem in paradiso terrestri conspirauimus, idcirco in criminis expiatione, domus nostræ, id est, corpora morte euertuntur, & in cineres rediguntur, idque irreuocabili hoc decreto, *Puluis es, Virgo serua & in puluerem redigeris.* At Virgo hæc, quæ per Deo finillâ vniuersâ proditorem machinata erat, delis exstiti, sed Deo suo & Regi fida semper exstitit, à tit.

Reg. 1.

Gen. 4.

Apoc. 12.

Virgois corpus cū domo Raab comparatû.

Gen. 6.

Psal. 132.

Reg. 1.

Iob. 7.

IV.

Quomodo puniri soleant Regû proditores.



l'g's huius rigore eximi debebat: ideoque corpus illius quamprimum vt se pulchro illatu fuit, resurrexit, nec corruptionem aut putredinem sensit.

*Plutarch.*

Augustus Cæsar cum Alexandriam Ægypti metropolim obsidione premeret, eadem euertere aut muros eius solo prosternere noluit, eam solū ob causam, quod magnus eam Alexander excitasset, & in suā habitationem delegisset. Non potuit igitur Magnus ille orbis Monarcha Deus, omnia corpora hominum euertens, & in cineres ac vermes redigens, pati, vt Virginis nostræ corpus periret & corruptioni succumberet, tam sancta, inquam, ciuitas, æterni Dei manu faudata, *Et ipse sum lauit eam alissimus, & quam filius vni-genitus sibi ad habitandum delegisset.*

*Cant. 7.*

Virgo duos egregios fecit gressus in mundū veniens & hinc abicis.

Legitur in Canticis, *Quam pulchri gressus tui filia Principis in calceamentis tuis.* De Virgine Deipara, cœlesti Regina hoc interpretor, ac duo, quos fecit passus, pulchri supra modū fuere, primus in conceptione, qui primus est passus ad vitam hanc ingrediendam, hunc illa fecit ab originali tunc peccato exempta, alter in obitu, qui vltimus est, quo è vita egredimur, at in quo tanta felicitas eius fuit, vt ne in terram decideret, cauere potuerit, id est, ne corpus in cinerem ac puluerem conuerteretur. At gressus quem calceata & vestita fecit, nam ad cœlum corpore vestita atque induta, præter aliorum beatorum consuetudinem ascendit. Hunc mihi cōceptum S Bernardus suggestit, qui per calceamentum hoc corpus intelligi vult, quo anima, non secus ac mortui animalis exuuijs induta est.

*1. Reg. 30.*

Adeo vt corpore simul & anima ad cœlum ascenderit eisdem quibus filius gaudens priuilegijs, cuius rei eximiam producam figuram. Dauid Amalecitas persequens eisdem funditus deleturus, iter suum, vti vellet, prosequi non poterat, quod saucios aliquot secum duceret, & exhaustos, & ob viarum difficultates defatigatos, quibus præcepit, vt in tuto loco manerent, impedimenta, currus, arma, comeatū, & belli sarcinas custodirent. Interea cum alijs inimicos prosequutus est, quos profligauit, atq; ita ad suos optimis onustus spolijs reuertit, at cum ea iam diuidenda essent, magnas & controuersias inter milites

Insignis allegoria.

orta est, num qui ad sarcinas & machinas mansissent, & hostem non vidissent, è præda participes esse deberent, quare cū inter se litē dirimere non possent, Regē cōtentionis placuit arbitram deligere, qui ait, *Non se facietis fratres mei, de his que tradidit nobis Dominus: aqua enim porio erit descendens ad prædium & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum & quasi lex in israel usque in diem hanc.* In cruento & ferali illo Caluarie conflictu, auditores, Iesus Christus Dominus noster inimicos debellauit, & solus dæmonem confregit, *Torcular calcavi solus, & de gentibus non sicut vir mecum,* ait Isaias, Ieremias, *Fortis impiegit in fortem, &ambo pariter ceciderunt.* Nemo victoriæ, quam de Satana retulit, aut Angelorum, Apostolorum, aut Sanctorum aliquis, particeps existit: idcirco ad hoc designandum ab omnibus derelictus fuit, sola Virgo ad sarcinas māsit, sola ipsa iuxta crucem stetit immobilis, & sola fidem seruauit: non disputabo hic aut inquiram, num Apostoli eamdem seruauerint nec ne. At in ipsa non defecit, sed fidelis existit: eum igitur qua debeat esse & eorum qui castra tutantur, & eorum qui conflictum ineunt & sanguinem effundunt, portio, cumque Christus è conflictu nominis sui exaltationem, corporis glorificationem, & ascensionis suæ gloriam sit consecutus, sequitur, idem omnino ius iure meritoque in Virginem nostram competere. Atq; hoc illi hodie in assumptione concessum, & eiudem cum Filio sortis esse iudicata est.

Denique Virgo hæc vix exstincta est, quin Filius eam suus in altum euererit. Huius esse magnes naturæ dicitur, vt ferrum quocumq; demum loco sit, ad se attrahat, ita lapis ille angularis, & de quo Paulus ait, *Petra autem erat Christus,* è summo cœlorum habitaculo sacrum matris suæ corpus sepulcro inclusum in cœlum sustulit.

Tradunt Physici Ciconias, dum cœlum mutant, & ex vno climare in aliud cōcedunt, parentes senio graues & virib. destitutos in humeros excipere, & in aliam regionē transportare feruentiorem, *Exurge Domine in præcepto quod mandasti,* Animalibus etiam brutis hunc

*Isai. 65. Ierem. 46.*

Ciconiarū affectus in parentes.



hunc instinctum indidisti, vt parentes colerent & honorarent. *Exurge Domine*, hoc amoris præceptum & effectum illius in gloriosa matre tua exhibe, atq; ita potentia tuæ alis matrem excitauit, & in cœlum transtulit, iâ mortem percessam, & sexaginta quinque annos, vt communior fert opinio, agentem: decimoquinto enim ætatis anno peperit Christum, triginta tribus annis cum eodem conuersata est, ac quindecim post mortem illius annis mortua est.

Mortua, inquam, morte miraculis & priuilegiis plena. Primo, sine vilo dolore, & morbo nullo diuexata, vt quidem Joannes Damascenus testatur: ita mortuus est Aaron in monte Hor, & Moyses in monte Nebo, vnde ait Scriptura, *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, iubente Domino. non caligauit oculus, nec dentes illius moti sunt.* 2. Omnes Apostoli, qui tum temporis in mundo vivebant, diuino quodam miraculo illi morienti adfuerunt. Apud Lucam scriptum est, *Vbi cumq; fuerit corpus, ibi congregabuntur. & Aquila: Sacrum Virginis corpus Jerosolymis erat, & ecce mortis illius articulo aquilæ illæ imperiales, quæ per totum mundum volauerant, congregabantur.* 3. Omnes illi morienti assistere Angeli ad tam diuinam puræque animam recipendam, eamq; ad æternam beatitudinem perlaturi, quod secunda me parte expositurum promiseram, inquam mentis impetu delatus eram, & nesciebam.

Hodie igitur, auditores, triumphæ gloriæ, & coronationis Deiparæ dies est, hodie arca illa testamenti è terra Philistiim ad Bethsamites, id est, domum Solis refertur. Hodie egregium tabernaculum, quod tanto tempore sub vitæ huius tentoriis & papilionibus commoratum fuit, in magnificum cœli templum illatum est; hodie verus Salomon dilectissimam matrem ad dextram suam collocauit, sancte illi promittens ac iurans omnibus illius precibus postulationibusque se anniturum, hodie formosa illa Ester Regni cœlestis corona, quod præ cæteris feminis Regi Assuero placuisset, insignitur, hodie pulchra illa Sara à Principibus domus Pharaonis commendatur & extollitur, hodie deniq; pulchra vt Luna facta est, & vt plena

Luna, quæ tot prius dolorum & molestarum Eclipses erat passa.

Ecquod tunc cœlesti in aula gaudium, eoque fuit exultatio? Hanc Partes describunt & quam sanctissime depingunt, & sanctus Anselmus imprimis, *Contempletur an mo, qui potest, quo cœudio, qua festiuitate, quibus concentibus, rubilabant omnes beatorum Spirituum ordines, quando & amicam Domini sui matrem adueniunt, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle o currere?* Plura etiam Bernardus: *Quis cogitare sufficiat, quam gloriosa Regina mundi processerit, & quanto deuotionis affectu tota in occursum cœlestium legionum prodierit: multitudo, quibus gloriosa antea ad thronum sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam.*

Jacob Patriarcha cum filium suum Josephum visurus, in Ægyptum descenderat, qui tum primus à Rege erat, omnes regni Principes Josepho congratulaturi eidem occurrerunt, omnemque quem potuerunt honorem exhibuere. Ita hodie Maria Virgine cœlum subeunte gloriosum visura filium, qui tunc vniuerso orbi dominabatur (nam de seipso ait, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*), omnes cœli ciues ac Principes, in Christi, qui dux & Caput eorum erat, gratiam, illi obuiam procedunt, tamq; excellentem matrem honoraturi, admirantes simul & gaudentes illi occinunt, *Qua est ista, qua ascendit de deserto, delictis affluens?*

Regina Saba dum relicto regno Regem Salomonem visum venit, multis stipata comitibus & diuitiis multis & aromatibus ornata venit, *Multo cum comitatu & diuitiis, camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas.* Aditque scriptura tot antea diuitias & aromata Jerosolymis conspecta non fuisse. *Non sunt allata vltra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Maior & excellentior fuit haud dubie cœli terræque Reginae ingressus in cœlum introitus, nam è mundi huius territorio, filium suum Christum verum Salomonem visura, eodem conscendens multis angelorum myriadibus, & infinita Cheru-

Lib. de excell. Virg.

Serm. de Assumpt.

Gen. 46.

3. Rep. 20.

Ingressus Deiparæ in cœlum collatus cū Regina ingressu Reginae Saba in Jerosolym.

Nom. 13. Deut. 4.

Luc. 17.

V. Reg. 6.

Reg. 8. Reg. 2.

Job. 2.

Gen. 12.



binorum multitudine stipata, & omni aromaticum & diuitiarum spiritualium genere affluens introiit, & nullus vnquam sanctus, nullave vnquam creatura, tantum aromaticam aut tot bonorū operum gemmas, quot illa vita hac egrediens, secum tulit, contrulisse comperitur.

*Prou. 31.*  
Deipara reliquos sanctos meritis transcendit.

Cordatam mulierem describens Salomon ait, *Multa filia congregauerunt sibi diuitias, tu uerpergressa es vniuersas.* De virgine Deipara sine dubio locutus est, nam quamuis multae creaturae & sancti multas virtutes bonaque opera in hac vita congregarunt, meritis tamen omnes longe transcendit: in hoc mundo multa bona congregamus, sed eadem quamprimum etiam dissipamus: cum scilicet saepius ieiunauimus, multas effudimus elemosynas, multum se temporis orationi impendimus, ingentes nobis thesauros & diuitias collegimus, at vnico lethali admisso peccato omnium iacturam facimus. At gloriosa haec Virgo nunquam vllum admisit delictum, & à primo natiuitatis suae puncto semper diuitias accumulabat, neq; vnquam destitit. *Quam igitur diues & opulenta caelos ascendit? Quanta fuit, & hodie etiamnum est illius gloria?*

*Iob. 1.*

Apostolus gloriam Christi exaggeraturus, his ad Hebraeos verbis est vsus, *Sedet ad dextram maiestatis in excelsis, tanto maior angelis effectus, quanto pra illis differentius nomen hereditauit, cui enim aliquando Angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Vnde efficere vult gloriam angelorum non nisi seruatorum gloriam esse, Christi vero, filij vnigeniti. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Eodem ergo vti argumento possum & concludere, gloriam virginis longo interuallo aliorum Sanctorum gloria antecellere, vt pote quae sola gloriam accepit, quod se Dei mater esset, quae nulli vnquam creaturae concessa fuit. Adeo vt tanto gloria eius ceterorū gloria excedat, quanto meritorum numero ac magnitudine ceteris praecelluit.

*Iean. 12.*

Dixit apud Joannem Dominus, *Vbi ego sum illic & min ster mess eris, i. e. ea qua fruor gloria fruatur & is, qui mihi obsequium impenderit, atqui Virgo, quamuis ancillam se dixerit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum*

*Luce. 1.*

*verbum tuum,* quid tamen maius fuit, hominum scilicet & Angelorum Regna, naturae miraculum, totius vniuersi gemma, denique Dei mater, credendum igitur gloriam illius omnem aliam transcendere gloriam.

Paulus de Sanctorum loquens gloria, eam adeo eximiam, magnam & admirabilem esse praedicat, vt nec oculus viderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit, quae praeparauit Deus diligentibus se. Huic ipsi sententiae innixus, ad eundem modum dico, si gloria Deum amicum adeo futura est magna, vt comprehendi nequeat, eoque futura est & modo etiam est illius gloria, quae non modo illum dilexit, sed mundo etiam peperit, illiusque mater exiit: illa exprimi potest, aut cogitatione comprehendi?

Vidisse se signum magnum in caelo Ioannes ait, mulierem scilicet amictam Sole, & duodecim stellis velut diademate redimittam. Virgo nostra signum hoc est, quae hodie in caelo apparet, & amictus ille solaris & corona est stellis compaginata, fulgoris & splendorem, ac maiestatem gloriae illius denotat: corona mulieris illius est duodecim composita erat stellis, & virginis nostrae est duodecim pulcherrimis qualitibus compacta, prima est clarissima SS. Trinitatis visio: secunda Virginis ardentissimus est beata hac visione procedens gloriae amor: tertia extremum & infinitum quoddam gaudium: quarta admirabilis quaedam creaturarum in verbo cognitio: quinta corporis splendor: sexta, impassibilitas: septima, agilitas: octaua, subtilitas: nona, super omnes angelos exaltatio: decima, matris Dei dignitas: vndecima, virginittatis laureola: duodecima excellētia Reginae caelorum. An non corona haec splendida & gloriosa, & duodecim egregijs stellis insignita?

An non magnificus ille triumphus? introitus quidam admirabilis? assumptio plane huius triu- admirabilis & stupenda? Virginem quatuor elementa transcendentem videre, ac Lunae, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis & Saturni orbes, primum mobile, caelum Crystallinum transeuntem, & caelum empyreum ingredientem? est profecto aquila illa, quae in Scriptura nidum suum in arduis posuisse dicitur, aquila inquam, quae ultra angelorum



gelorum caput transuolat, & ab angelis honoratur.

Quomodo  
virgo ho-  
noranda.  
Ihm. 17.

Cum igitur ab angelis in cælo hodie honoretur, par est & nos homines illam in terrâ colere, non velut deam quamdam, vt insani quidam hæretici commenti sunt, non velut creatricem, sed creaturam, non velut mediatricem, sed aduocatam duntaxat. Et sane eadem vt Dei matrem, & matrem misericordiæ honorare debemus & reipsa etiam honoramus, filium in illa honorantes: si enim gloria filiorum parentū est gloria, ita vicissim ac reciproce parentū gloria in filios redundabit, *Gloria filiorum patres eorum.*

Obis Chri-  
stianis vni-  
uersis vir-  
ginem ho-  
norant.

Stulti igitur & vesani hæretici, qui creditis peccare nos & idololatriam committere; cum Virgini huic obsequium aliquod impendimus, facimus enim hoc antiquis, & semper & ab omnibus Patribus factitatum est, Augustino, Bernardo, Gregorio, aliisque plurimis, at quis vnquam Virginem nostram digno non est honore prosecutus? oculos per vniversum Christum orbem circumferte, circumspicite singula, quatuor mundi angulos cogitatione percurrite, tot veteres Basilicas inspiciate, ac videbitis tertiam eorum partem Virgini huic dedicatam esse.

Catholico-  
rum fides  
de honore  
virginis.

Erratis haud dubie, cum idololatrias nos dicitis & putatis, quidem de virgine credere nos creditis? dicimus illam magis Christo deuinctam esse, magisque ab illo propendere, quam nos, dicimus magis eam illius ancillam esse & creaturam, magis ab illo redemptam, quia plura ab ipso accepit beneficia, maioremque gratiam, quidquid enim est, per Christum est, *Pulchra vt Luna*, ait scriptura in laudem eius, quæ lumen habet, sed non à se, at à Sole: ita gloriosa virgo pulchra est, & peccati omnis experta, sed à Christo Domino id profectum.

1. Reg. 1.

Audite vt hoc ipsa confiteatur in Cantico suo, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, & quam obrem quæso? Quia fecit mihi magna, qui potens est.*

2. Reg. 1.  
3. Reg. 1.  
1. Reg. 2. 5.

Est igitur vt aduocatam nostram, vt Domini atque vnicui Redemptoris matrem colimus, est enim in cælo velut noua quædam Bersabea ad Salomonis dextram residens, certa se impetratam, quodcumque preci-

bus ab eo postulauerit, velut altera Esther iuxta Assuerum pro misero Mardochæo, genere inquam humano deprecans, velut secunda Abigail Davidis iracundiam & furorem aduersus stolidum Nabal, id est, peccatorem, indignantis mitigans, denique velut cælestis quædam Thecuis, rebelles Absalomos, id est, peccatores, Regi ac Patri suo reconcilians.

Est igitur honoranda, cum & angeli illam honorent, idque dupliciter, primo laudes eius dilatarando deprecandoque, *Ecce enim beatam me dicent omnes generationes*: deinde filium illum amando & obsequendo, atque is potissimus est, qui reddi ei honor potest. Bersabea coram Dauide se magna humilitate proster-

nes, aliud ab eo non postulauit, quam vt filius patri in regno posset succedere: Deipara quoque aliud ab hominibus non postulat, quam vt filius illius Rex sit, id est, in animis nostris & cordis throno dominium exerceat. Non reperitur in vniversa scriptura virgo nisi bis hominibus locuta, semel cum cognatam suam Elisabeth salutauit, deinde ministris in Cana Galilææ dicēs. *Omnia quacumque dixerit vobis, facite.* Cogitate, idē illam nobis dicere ac suggerere, pro nobis in cælo intercedit, vultque omnia seruari atque exacte fieri, quæ filius nobis suus præcepit, non sufficit rosarium è cingulo gestare, nisi obseruationi mandatorum eius incumbamus, filio igitur obediendum, si placere voluerimus matri.

Et se vere ita res habet, Virgo sanctissima, vt enim seruire & colere & adorare quā humilime tuum debemus filium, ita te ex toto corde & ex animo, toto vitæ tēpore honorare ac venerari. Tu namque cæli portæ, stella maris, peccatorū patrona, angelorum Regina, mater misericordiæ, & quantum te hic in terra colimus & veneramur, tantum in cælo pro nobis orare constat. Ideoque te suppliciter obsecrantes, solitum vt fauorem nobis exhibeas, iisdem te iam precibus ac verbis compellamus, quibus olim Adonias Bersabeam *Precor vt dicas Salomoni Regi*, (neque enim tibi negare quidquam potest) *vt det mihi Abisag v. orem.* Eadem tibi preces, tibi o cæli terræque Regina, depromimus, tibi que magna animi demissio.

1. Reg. 14.

3. Reg. 1.

Virgo non  
si b slo-  
eura legi-  
tur homi-  
nicus.

Ioan. 2.

3. Reg. 2.

missio.



missione supplicamus, verum vt Salomonem Filium tuum Iesum Christum deprecaris: certi quippe sumus, nihil illum tibi denegaturum, vt nobis non Abisag, sed gloriam cœlestem in præmium concedat. Bersabee vero illum exaudiens, ait animo promptissimo, *Ego loquar pro te Regi. Idem obsecro fac Deipara, pro nobis apud filium intercede, nostram apud illum causam age, nostriq; apud maiestatem illius suscipe patrocinium.*

[Esth. 5.]

Assuerus Rex præ affectus, quo Estherem prosequeretur, vehementia ait: *Quid vis Regina Esther? qua est petitio tua? etiam si dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* Idem tecum agitur in cœlo, quod olim cum Esthere in Perside apud Assuerum: nam summus Regum Rex Christus tanto te honore, amore, reuerentia, & affectu prosequitur, vt quidquid ab illo petieris, tibi daturus sit. Tu igitur, spes nostra & refugium vicium, veniam nobis delictorum impetra, emendationem vitæ obtine, & gratiam illius in hoc mundo adipiscere, & in altero gloria & beatitudinem, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

### IN FESTO S. ROCHI CONFESSORIS.

Partitio.

1. De Sanctorum vitis & exemplis imitandis.
2. De eorundem historiarum utilitate.
3. De vitio pestilentia.
4. De S. Rocho, eius patriam ac rebus praclare gestis.

*Sicut lumbi vestri praecincti, & lucerna ardentis in manibus vestris, Luc. 12.*

### FIGURA.

Tobias.

Veteri Testamento celebratur vir quidam sanctus & illustris de tribu & ciuitate Nephthalim in Galilæa superiore, cui nomen Tobias: dicitur hic iam inde ab in-

cunabulis virtutis studiosus fuisse, Dei timorem ob oculos habuisse, in eoq; ad vsque vitæ extremum perseuerasse, adeo, vt quantum cresceret ætate, tantum & vitæ sanctimonia meritorumq; cresceret copia: vt ne quidem à rege Assyriorum Salmanasar cum vniuersis contribulibus suis in captiuitate Babylonicam iam abductus, Niniveq; commorans, tyrannide licet & immanitate Barbarorum oppressus, ab amore, timore, ac præstita Sacramento Deo suo fide, vellatum vnguem deflexerit, magnæq; cum patientiæ significatione ac modestiæ triste hoc & ingratum exilium ferens, omnium piorum operum, ac præsertim charitatis ac misericordiæ exercitio se consecrauerit. Vehemens enim erga proximum amor tam ardentis animo eius subdebat faces, noctu & interdiu alio: vt opere non occuparetur, aliudq; non actitaret, quam Deum assiduis precibus fatigare, afflictos consolari, ægros adire indigis auxiliari, pauperibus de facultatibus succurrere, saucius medelam afferre, mortuos deniq; terræ mandare. Quæ omnia vno velut falce complectens sacra historia, hoc eius vitæ compendium texit. *Esurientes alabat, nudosq; vestimenta praebebat, & mortuis atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat.*

Hic ergo vir mire sanctus fuit, & sancte admirabilis; sed si vetera hæc & prisca sepone gesta, & æuum auorum transeundo ad recentiora venire tempora voluerimus, in nostra prouincia, ne dicam ætate (ab hinc n. 300. floruit annis) alium non minori præditum sanctimonia, nec inferioribus donatum reperiemus meritis. Nomen illi Rochus, patria Gallia hæc nostra; virtutes porro eius inexplicabiles. Hic ergo virtutem naturali sanguinis nobilitati combinans (fuit namq; domo & stirpe illustris) ad Tobia veteris imitationem, tam inde à flore ætatis virtutis studio se dedit, ac toto vitæ tempore ipsum non deseruit; imprimis vero in operibus pietatis & charitatis & misericordiæ mirabilem, ac prope dixero diuinum atq; inimitabilem se reddidit. Parentibus namq; inter mortuos generose mundum prostruit, mundanisq; cedens, facultates in egenos disperdit, inque voluntarium & vtroneum secedens